



Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

S. Catharina Virgo, & Martyr

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](#)

660 XXV. Novembris. S. Catharinæ.

nem. Dilecte! quot gratias aut negligimus, aut rejicimus? Rectè novit cum gratia negotiari, qui didicit sanctè timere.

Instructio meritoria.

Pro doctrina sic nobis effatum Doctoris Melliflui attestantis: *Omnes nobis causamur deesse gratiam; sed justius ipsa conqueritur, sibi deesse plurimos.* Quoties & nos ô fili! inter illos? Satisfacimus, & ut in gratia finali decedere mereamur, hodie *Litanias de omnibus Sanctis* persolvamus. Quàm beata mors, si pretiosa ùt Sanctorum.

Festum S. Catharinæ Virginis,
& Martyris studiosæ Juventutis Patronæ zelosissimæ.

EXHORTATIUNCULA I.

QUæ virtus illa, quâ amici Jesu, Marie filii, & angelorum clientes evadimus dignissimi? Respondet nobis S. Catharina: Puritas, & vitæ innocentia. Et hæc quàm modicè curatur! Puritas pro nummis, pro teruncio anima, pro argenteis Christus, pro lucello venalis

lis stat cœli patria. Chare! præstat esse pauperem cum innocentia, & sanctâ vitâ, quàm cum impiâ ditissimum.

Instructio meritoria.

Fili! sapiamus, & quæque extrema pati pro innocentia firmiter statuamus. Pro custodia tamen margaritæ adeò pretiosæ recitemus officium minus de Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis Mariæ, aut si ad manus, de Gloriosa Martyre S. Catharina. Virgo Virginem colat, & diligit.

II.

SApere, quæ æterna, & immortalia sunt: econtra spernere, quæ transiunt, suprema sapientia est. Hanc discemus mi fili! Si semper amaverimus Magistram cœlestis Sapientiæ S. Catharinam, à qua peculiariter supplicemus timorem erga omne peccatum, & amorrem, ac desiderium in omne virtutis studium. Qui timet peccatum, inveniet Deum. Quid juvat multa scire, & clarere litteris, si vita circumdata vitiis. Revolvamus sæcula! à nullo plus ruinæ sentit

E e 7

sic

662 XXV. Novembris. S. Catharinæ.

sit publicum, quām à doctis impiis. Scien-
tia curanda post conscientiam.

Instructio meritoria.

Impetrabit S. Catharina, si trium-
phum, quō superavit heroina Viētrix
quinquaginta Philosophos, totidem
quinquaginta Ave, & osculis terrae vene-
rabundā devotione recoluerimus. Fiat.
Divina sic jubet sapientia. Hæc demis-
sione docetur, & discitur. Cætera ne-
scire utilius est, quām scire.

III.

DEI Sapientia sedem posuit suam in
sancta Catharina. Hinc tanta fides,
zelus, & fervor pro Dei nomine, & glo-
ria, ut nec solium ambierit imperatoris,
nec rotam timuerit carnificis. O fili!
cur tantam non stringimus, & novâ de-
votionis memoriâ non veneramur Ma-
gistrum veritatis? Indigemus illius auxi-
liô, quia in virtutibus multū vacui, &
inanis.

Instructio meritoria.

In honorem novem litterarum, quibûs
constat Nomen S. Catharinæ, institua-
mus novendiale, & quotidie novem Pa-
ter



XXVI. Novembris. S. Sylvestri Abb. 663

ter & Ave cum oratione de hujus Festo
recitemus, nectendō Sapientis suspirium:
Domihi, Domine! sedium tuarum affi-
stricem sapientiam, ut mecum sit, & me-
cum laboret; & sciam, quid acceptum
sit coram te. Sap. 9.

Festum S. Sylvestri Abbatis, &
novae Congregationis Fundatoris
zelosissimi.

EXHORTATIUNCULA I.

AD conspectum emortui cadaveris
rotus immutatur Sylvester, & de-
sertis omnibus, in solitudinem properat.
O quid non potest seria mortis memo-
ria? Unicum temporis momentum,
quod nobis pandet æternitas, utinam.
omnes totius vitæ exhauriat cogitatus, &
curas! Quot non hodie festa celebrant
jocalia, cras futuri funera! Fili! quid si
& nos?

Instructio meritoria.

Mori non timet, qui dolenda non egit.
Cœmeterium visitemus, & pro requie
defunctorum, atque expeditâ nostrûm
ad mortem dispositione frequenter ore-
mus